



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 46. Patriarchatus Constantinopolitanus venumdatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

fuis per calumniam accusatus effet, quod Sæcul. XV. A.C. 1461.
 data Mahometi II. pecunia Patriarcha-
 lem Ecclesiam emisset.

§. XLVI.

*Patriarchatus Constantinopolitanus
 venundatus.*

Interea in Marci locum Simon Trapezuntinus, hospitalitate conspicuus electus est. Hic itidem pecunia hanc se-
 dem aucupatus videtur: memorie enim Spondan. contin. hoc ann. 1461. num. 18.
 proditum habetur, quod Trapezuntini, cum plurimum apud Mahometem gratia valerent, Constantinopolin delati, Sultano mille aureos obtulerint. Sultanus hoc munus lubenter acceptavit, non sine ingenti dedecore Græcorum, qui, cum usque ad illud fatale tempus libere suos Patriarchas elegissent, jam per turpes quæstus suam Ecclesiam tributis obnoxiam, ejusdemque dignitates omnino venales reddebant. Hoc fuit initium Tributi, quod Græci *Pescesum* vocant, ac quotannis pendere coguntur, auctis etiam pecuniarum summis pro Sultani arbitrio. Jam ipsæ etiam mulieres venale jus in sacra sibi arrogabant; Maria enim, Religione Christiana, Mahometis Noverca hoc tributum bis mille aureis augeri, nec Patriarchatum nisi plus offerenti conferri præcepit, ipsumque Si-
 D 4 meonem

Sæcul. XV. meonem sede dejecit, ut Dionysium, pa-
A.C. 1461. tria Peloponesiacum Marci Ephesii, qui
 quondam juratus Ecclesiæ latinæ hostis,
 ac accerrimus in Concilio Florentino de-
 clamator erat, discipulum intruderet.
 Ubi vero is ipse Patriarchatum dimiserat,
 rursus Simeon, iterumque Dionysius
 Sedi restitutus est. His denique vita
 functis Raphael, & Maximus, quo re-
 gnante Mahometes obiit, Patriarchæ
 Constantinopolitani eligebantur; cum
 interea Sedem hanc inter Latinos rege-
 ret Cardinalis Ruthenus, cui postea
 Bessarion successit.

§. XLVII.

*Epistola Pontificis ad Galliarum
Regem.*

Redeamus ad Epistolam, quam ad Lu-
 dovicum XI. scripsisse summum Pon-
 tificem superius meminimus; Igitur Pius
 Papa, postquam miseram Christianorum,
 qui sub Turcarum ac Saracenorum ty-
 rannide gemebant, conditionem expo-
 suit, se imparem esse professus est, ut
 solus afflictis opem ferre posset, proin o-
 mnium Regum, ac cunctorum Principum
 Christianorum auxilium sollicitè implo-
 rabat, jungens, *volvimus oculos nostros
 modo huc, modo illuc, & lustratis omni-
 bus Christianorum provinciis, nemo Regum,*
 nemo